



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. X. Insigne miraculum in Virginis imagine à D. Luca picta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

in quib. innumerabilia commemorantur, quib. ipsa multos mortaleis copiosè auxit, & amplissimè honestavit.

MIRAC. VIRG. X.

*Insigne miraculum in Virginis imagine à D. Luca picta.*

**D**Elinearat Virginis imaginem D. Lucas, quam postea colorib. appositè ornare, decreuerat. Ea admirabili splendore diffusa, praestantibusq. colorib. mirificè ornata uisa est: ita ut non mortali pennicillo, sed coelesti manu picta uideretur. Insignis haec pictura non sine Dei uoluntate Romam aduecta est, quo tēpore Tempulus, Seruulus, & Ceruulus fratres piè aetate illic agebant. Tempulum autem pium, & integrum uirum Deus conueniens; illi edixit, ut effigiem illam, quae nuper Romā aduecta fuerat, in templo aedib. in quib. ipsi unanimes fratres habitabant, proximo, ponendam, & maxima ueneratione locandam curaret. Ea re statim facta, optimi fratres, maiori postea pietate, ac sanctitate, reliquum uitae suae, cursum confecerunt. Ad sacrosanctam imaginem quidam clerici oculos adiecerant; qui non religione, sed inuidia adducti à Sergio Pontifice maximo impetrarunt, ut ea illinc amota in Lateranense atrium perferretur. Rem. n. praestantissimam in illustri, ac celebri loco ponendam esse, dicebant. Pontificis permisso illi maximo populi comitatu & frequentia ui sacram tabellam eripuerunt, quibusdam mulierib., quae ibi, consecrata Deo uirgi



nitate, vitam religiosè degentes, maximo cultu, ac studio sanctissimas illas reliquias custodiebant. Paullulum iam illi processerant, cum repente saeuissima tempestate exorta, & nimbo atra caligine terras obruente, ulterius progrediendi potestas sublata est. Id ubi audiit Pötifex maximus, institutis publicis, ac solemnibus supplicationibus. illuc accedens, pictam reginae Angelorum imaginè in Lateranense atrium pertulit? Sed postera nocte ad aedem illam, in qua diu fuerat, eadem ultro aduolauit. Quaerenti Pontifici à pijs illis mulieribus, quinam illud euenisset, earum praefecta honestissima, ac uenerabilis, se ante eius pedes prouoluens, rem ordine narrauit. dixit. n. noctu, dum in templo seipsa angeret; illuc rediisse imaginem. Itaq. se in illo fontem Pontifex confessus est; qui re diuina prius facta, sanctissimam illam aedem liberalibus donis donauit. iussit deinde ut à Lateranensi atrio tantum olei quotannis suppeditaretur, quantum satis esset ad perpetuos illi imagini ignes conseruandos.

## MIRAC. VIRG. XI.

*Quantus honor SALVE REGINA antiphonae praestandus sit.*

**S**Celerum omnium architectus, qui à bonis omnibus capitali odio solet disfidere, & qui Deum, cuius imperio ei parere necesse est, ausus est attetare; uidens sibi quosdam pios coenobitas Bononiae, ac Lutetiae acerbos, & graueis aduersarios constitutos, eos grauiter urgere, nimisq. inhumanè excruciare cepit.